

Osculum
Metaphysi-
cæ & Lo-
gicæ.

traduntur species primarum. Atqui in Metaphysicâ traduntur communes entis differentiæ, & species ejus in prædicamentis. Ergò & totidem summa genera notionum suarum simplicium agnoscere debet Logicus. Communes entis differentiæ, per quas ipsum primò dividitur, sunt causa & causatum, pars & totum &c. His differentiis respondent argumenta Logica communia, quæ alii vocant argumenta simpliciter. Speciebus entis respondent in Logicis argumenta propria, quæ dicuntur prædicamenta. Ecce primæ philosophiæ & Logicæ quoddam quasi osculum! Sed latius extendamus illud osculum. In metaphysicâ est ens, de quo omnia dicuntur, quæ ibi tractantur. Sic in Logicis est thema, de quo reliqua enunciantur. Utrumque est quasi centrum, in quo concurrunt omnes lineæ, uti in circulo videre est. Ens habet sua attributa, & divisiones. Attributa sunt communes affectiones, quæ etiam in Logicis exprimuntur terminis technologicis. Divisiones entis palmaris sunt duæ: una continet, uti diximus, primas ejus differentias; atque hæ exprimentur argumentis communibus: altera ens dividit in incomplexum, & complexum. His terminis etiam respondent instrumenta Logica, quorum alia incomplexa, complexa alia. Ens incomplexum dividitur in substantiam & accidens. Huic divisioni ἀναλόγως respondet doctrina argumenti proprii. Hæc è sequentibus manifestiora evadent. Duntaxat hîc teneatur, quòd argumenta sint notiones secundæ, contra Petrum Ramum, qui *lib. 4. schol. Dialect. capit. 5.* reprobat numerum categoriarum duplici potissimum nomine, tum quòd enti tantum, non etiam non-enti competant: tum quòd meliores entis species ab ipso traditæ sint, nimirum causa, effectum, subjectum &c. Utrumque ridiculum. Principiò enim entia Logica non debent competere enti & non-enti: Quicquid enim competit malo, ut malo, non potest competere bono, quia malum privativè opponitur bono. Cùm igitur entis & non-entis major sit distantia, nimirum contradictoria, multò minùs de uno verum erit, quòd de altero verum fuit. Entis esse causam rectè dixerit Ramus. At non-ens non habet causam. Malè itaque locutus est Ramus. Sic autem loqui debebat, quòd entia Logica
pro

Argumenta
non sunt
notiones
primæ.

Quomodo
Logica ver-
setur circa
ens & non-
ens?